PS. EUSEBIUS CREMONENSIS. PS. AUGUSTINUS. PS. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Salzburg, 1470 Seite 125r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8135
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

peccati nexu resoluti. Cupiebam a consue-
tudine mala retrahi. Desiderabam a
vicio recedere. querebam usum nequissimum
superare. Sed diu difficile est peccati con-
suetudinem vincere. Prauus usus vix ab-
luitur uel abolitur. Assidua consuetudo
in naturam uertitur. Assiduus usus in na-
turam uertitur uicium. Huius sceleribus astrictus
diuelli ab eis uix possum. Tanta sunt mea
uicia ut uix euelli possint. Vix credo peccata
mea ullo spacio temporis exolescere. Vltro
me miserum antea uiciaui. spontaneo
me duorum studio pollui. proprio me pro
arbitrio perdidi. propria uoluntate macu-
laui. Bonus eram. sponte ad peccatum dilap-
sus sum. Liber eram sponte mea factus
sum debitor mortis. Infelix ego penam
sponte mihi prius ipse paraui. Ego primus
occasionem peccandi amplexus sum
Nunc peccati usu astrictus detineor. ma-
la consuetudo me sibi grauiter impli-
cauit. Longa consuetudo in me ius
sibi et legem fecit. Consuetudine pec-
candi quod nescio sic delinquo. Peccati usu
quod non opto incurro. Volo agere bonum
sed desideria consueta non sinunt. Pra-
uo usui contra me nitor sed carnis desiderio
aggrauor. Ad iusticiam me amor erigit